



Vm pueros præceptoribus studiorum gratia commendare uolumus, idipsum eo potissimum tempore faciemus, quo Luna aucta lumine, & in signo humano cum Mercurio constituitur, aut ad eundem fortunato aspectu respiciens. Mercurio forti & ab omnibus impedimentis secluso, inq[ue] bono figuræ loco constituto, humano signo horoscopum teneente, dominoq[ue] eiusdem medium cœli possidente, aut ipsum cœli medium convenientiam habeat cum domino ascendentis. Nec uero minus confert, si Mercurius cum domino ascendentis in aliqua fortunata radiatione fuerit. Nec negligenda est domus nona, propterea, quod ea unâ cum decima, quæ magisteriorum dicitur, & studiorum domus sapientiæ existit. Qui uero aspectus, & quæ signa, pro spe doctrinæ atq[ue] eruditionis obseruari conuepiat, ex tabula canonis secundæ partis primi, ac secundi secundæ partis liquido intelliges.

**Quando commodius serui conduci, aut emi  
bestiæ possint, dinoscere.**

**Canon XIII.**



Viseruos conducturus est, id faciat cum Luna & ascendens in signo fixo domestico uel humano, directæ ascensionis existant, unico Scorpione dempto, nec toto quidem, sed postrema medietate tantum. Ad hæc duodecima domus, quæ ut Ptolemæus scribit, est seruorū, unâ cum eius domino obseruanda est. Et bonum admodum est, ut dominus duodecimæ cum domino ascendentis, aut cum Luna coniunctus sit, aut bonis eorum radijs irradiatus. Quod si luna in humano signo ascenderit adiecta aliqua fortuna, mala non est, omni aut modo cauendum, ne Luna uel ascendens illorum aliquod signorum, scilicet Arietē, Leonē, Scorpionē, Capricornū, & Pisces possederit. Pro iumentis uero emendis prouidendum est, ut Luna eo tempore fortunis directis & orientalibus existentibus, & in latitudine ascendentibus applicet. Præterea aut mansuefacta & domita est bestia, aut fera & effrenis: Si mansuefacta, commodum erit Lunam esse in signo fixo, domestico uel humano, & ascendens in signo communi, sexui conueniente, sexu semper ad signum relato, ut si masculus fuerit, signum masculinum sit: si foemina, signum ipsum sit foemininum. Leo & Scorpio, ut non idonea signa, excipiuntur. Si uero effrenis sit bestia, conuenit ut signum ascendens mobile sit, & Luna in signis mobilibus existat, fœlicibusq[ue] radijs illustrentur. Sexta uero domus, quæ bestiarum est, cum eius domino non est prætereunda, ita ut ab infortunis libera sit. Nec illud quidem silentio præteriri debet, ualde conuenire in bestijs emendis, si eiusdem proprietatis, aut effigiei signum Luna, ascendens, sexta, aut eius dominus fœliciter tenuerint.

**Quod tempus pro parandis & induendis ue-  
stibus aptum sit inuestigare.**

**Canon XIV.**



Ora emendarum & incidendarum uestium, Luna aucta lumine, & secunda domus eiusq[ue] dominus in signo communi aut mobili obseruentur, fœlicibus radijs illustrati, Sole in medio cœli existente. Pro ipsis uero induendis Luna & ascendens in signis mobilibus, cum fortunis aut earum radijs. Cauendum est autem à signis fixis, præcq[ue] omnibus à Leone,

I Leone,